

tiā, cæterisque virtutibus mirabiliter enituit. Prophetiæ dono illustris, futūra prædixit: inter quæ maxime celebratur, quod Iacobus Rex Valentiam à Mauris occupatam expugnauerit, acceptā prius ab eo obtinendæ victoriæ securitate. Angeli Custodis, ac Deiparæ Virginis frequenti apparitione recreabatur. Sermo tandem confectus, de imminenti morte cæritus factus, in morbum incidit, sanctisque refectus Sacramentis, fratres suos ad charitatem erga captivos cohortatus, & Psalmum Confitebor tibi Domine in toto corde meo, devotissime recitans, ad illa verba: Redemptiorem misit Dominus populo suo, spiritum Deo reddidit mediâ nocte Vigiliæ Nativitatis Domini anno millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto. Cuius Festivitatē Alexander Septimus die trigesima primâ Januarii celebrari præcepit.

**R.** Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrederere in requiem meam: Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. **V.** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cælestia regna. Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri in Evangelium. Nolite timere pusillus grex, de Communi Confessoris non Pontificis. LXXXII.

In secundis Vesperis fit Commemoratio S. Ignatii Episcopi & Martyris. Antiphona. Iste Sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, & à verbis impiorum non timuit: fundatus enim erat supra firmam petram. **V.** Glória & honor coronasti eum Domine. **R.** Et constituiti eum super opera manuum tuarum.

Oratio ut infra.

## FESTA FEBRUARII.

Prima die non impedita dicitur Officium Defunctorum. clvj.

### DIE I. FEBRUARII.

In Festo S. Ignatii Episcopi & Mart. Semiduplex.

Omnia de Communi unius Martyris, xxlij, præter ea quæ hic habentur propria.

#### Oratio.

**I**nfirmi-tatem nostram respice omnipotens Deus: & quia pondus propriæ actionis gravat, beati Ignatii Martyris tui atque Pontificis intercessio gloriosa nos protegat. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

#### In secundo Nocturno.

Ex libro S. Hieronymi Presbyteri de Scripturis Ecclesiasticis.

#### LECTIO IV.

**I**gnatius Antiochenæ Ecclesiæ tertius post Petrum Apostolum Episcopus, commovente persecutionem Trajano, damnatus ad bestias, Romam vinculis mittitur. Cùmque navigans Smyrnam venisset, ubi Polycarpus, auditor Joannis, Episcopus erat, scripsit unam Epistolam ad Ephesios, alteram ad Magnesianos, tertiam ad Trallenses, quartam ad Romanos: & inde egradiens scripsit ad Philadelphios, & ad Smyrnaeos, & propriam ad Policarpum, commendans illi Antiochensem Ecclesiam: in qua & de Evangelio, quod nuper à me translatum est, super persona Christi ponit testimonium.

**R.** Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: Et dedit illi claritatem æternam. **V.** Descenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.

Lec-

### Lectio v.

**I**gnum autem videtur, quia tanti viri fecimus mentionem, & de Epistola ejus, quam ad Romanos scribit, pauca ponere. De Syria usque ad Romam pugno ad bestias in mari & in terra: nocte diæque ligatus cum decem leopardis, hoc est, militibus, qui me custodiunt; quibus & cum benefeceris, peiores sunt. Iniquitas autem eorum mea doctrina est: sed non idcirco iustificatus sum. Utinam fruar bestiis, quæ mihi sunt preparatæ: quas & oro mihi veloces esse ad interitum, & ad supplicia, & allici ad comedendum me, ne sicut & aliorum Martyrum, non audeant corpus attingere. Quod si venire noluerint, ego vim faciam, ego me urgebo, ut devorer. Ignoscite mihi filii: quid mihi prosit, ego scio.

**R.** Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine, & Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. **V.** Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et.

#### Lectio vi.

**N**unc incipio Christi esse discipulus, nihil de his, quæ videntur, desiderans, ut Jesum Christum inveniam. Ignis, crux, bestie, confractio ossium, membrorum divisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantum ut Christo fruar. Cùmque jam damnatus esset ad bestias, & ardore patiendi rugientes audiret leones, ait: Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar. Passus est anno undecimo Traiani. Reliquæ corporis ejus Antiochiæ jacent extra portam Daphniticam in cœmetério.

**R.** Stola jucunditatis induit eum Dominus: & Et coronam pulchri-

tudinis posuit super caput ejus, **V.** Cibavit illum Dominus pane vite & intellectus: & aqua sapientiæ salutaris potavit illum. Et coronam. Glória Patri. Et.

#### In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

#### Cap. 12. d

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit; ipsum solum manet. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi.

Tractatu 51. in Joannem, sub medium.

**I**pse Dominus Jesus erat granum mortificandum, & multiplicandum: mortificandum infidelitate Judæorum, multiplicandum fide populorum. Jam vero exhortans ad passionis suæ sectanda vestigia. Qui amat, inquit, animam suam, perdet eam. Quod duobus modis intelligi potest. Qui amat, perdet: id est, si amas, perdes. Si cupis vitam tenere in Christo, noli mortem timere pro Christo. Item alio modo: Qui amat animam suam, perdet eam: noli amare, ne perdas: noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita. **R.** Corona aurea super caput ejus, & Expressa signo sanctitatis, gloriæ honoris, & opus fortitudinis. **V.** Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Expressa.

#### Lectio viij.

**H**oc autem, quod posteriori dixi, magis habere videtur Evangelicis sensus. Sequitur enim: Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Ergo, quod supra dictum est, qui amat, (subintelligitur in hoc mundo) ipse utique perdet: qui autem odit (uti-

que in hoc mundo) in vitam æternam ipse custodit eam. Magna & mira sententia, quemadmodum sit hominis in animam suam amor ut pereat, odium ne pereat. Si male amaveris, tunc odisti: si bene oderis, tunc amasti. Felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando.

**R.** Hic est vere Martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit: \* Qui minas iudicium non timuit, nec terræ dignitatis gloriam quesivit, sed ad cœlestia regna pervenit. **V.** Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Qui. Gloria Patri. Qui.

## Lectio ij.

**S**ed vide ne tibi subrepat, ut te ipsum velis interimere, sic intelligendo, quod debes odisse in hoc mundo animam tuam. Hinc enim quidam maligni atque perversi homines, & in seipsis crudeliōres, & sceleratiōres homicidæ, flammis se donant, aquis se præfocant, præcipitio se collidunt, & pereunt. Hoc Christus non docuit: immo etiam diabolo præcipitium suggerēti respondit, Redi retrō sātanas: scriptum est: Non tentābis Dōminum Deum tuum. Petro autem dixit, significans quā morte clarificāturus erat Deum: Cum esses junior, cingebas te, & ambulabas quō volēbas: cum autem senneris, alter te cinget, & feret quō tu non vis. Ubi satis expressit, non ā seipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi.

Te Deum laudāmus. 13.

## DIE II. FEBRUARII.

In Festo Purificationis B. Mariæ Virginis. Duplex.  
Si hoc Festum incidit in aliquam ex Dominicis privilegiatis,

tunc transferendum erit in sequentem diem, id est, in Feriam secundam tamquam in sedem propriam, translato quocumque alio Festo etiam equalis, non tamen altioris ritus in eam incidente. (Ex Decreto Clementis VI. & Sacri Rituum Congreg. die 9. Augusti 1681. necnon 20. Julii 1748.)

## A D V E S P E R A S,

## Antiphona.

**O** Admirabile commercium! Creator generis humani, animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est: & procedens homo sine semine, largitus est nobis suam Deitatem. **Psalm.** Dixit Dominus, & reliqui consueti de S. Maria, ut in eius Officio parvo. cxxxiv. **Añā.** Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc implēta sunt Scripturæ: sicut pluvia in vellus descendit, ut salvum faceres genus humanum: te laudamus Deus noster. **Añā.** Rubum, quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem: Dei Genitrix intercede pro nobis. **Añā.** Germinavit radix Jesse: orta est stella ex Jacob: Virgo peperit Salvatorem: te laudamus Deus noster. **Añā.** Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Joannes videns exclamavit, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, alleluia.

## Capitulum.

Malach. 3.

**E**cce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos queritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis.

## Hymnus.

**A**ve maris stella,  
Dei Mater alma,

Atque semper virgo,  
Felix cœli porta.  
Sumens illud Ave  
Gabrielis ore,  
Funda nos in pace,  
Mutans Hevæ nomen.

Solve vincula reis,  
Profer lumen cæcis,  
Mala nostra pelle,  
Bona cuncta posce.  
Monstra te esse Matrem,  
Sumat per te preces,  
Qui pro nobis natus  
Tulit esse tuus.

Virgo singularis,  
Inter omnes mitis,  
Nos culpis solutos,  
Mites fac & castos.  
Vitam præsta puram,  
Iter para tutum,  
Ut vidētes Jesum,  
Semper collatēmur.  
Sit laus Deo Patri,  
Summo Christo decus,  
Spiritus sancto,  
Tribus honor unus.  
Amen.

**V.** Responsum accepit Simeon a Spiritu sancto. **R.** Non visitum se mortem, nisi videret Christum Domini. **Ad Magnificat, Antiphona.**  
Senex puerum portabat, puer autem senem regēbat: quem virgo peperit, & post partum virgo permanit: ipsum quem genuit, adoravit.

## Oratio.

**O**mnipotens sempiternæ Deus, majestatem tuam supplices exoramus: ut sicut unigenitus Filius tuus hodiernā die cum nostræ carnis substantia in templo est præsentatus; ita nos facias purificatis tibi mentibus presentari. Per eundem Dominum nostrum.

**Et non sit Commem. S. Ignatii.**

**Ad Matutinum, Invitatorium.**

Ecce venit ad templum sanctum

suum Dominator Dominus: \* Gaude & lætare Sion, occurrens Deo tuo. **Psalm.** Venite, exultemus. 1. **Hymnus, Antiphonæ & Psalmi Nocturnorum dicuntur ut in Officio parvo beate Mariæ. cxxxviii.**

In primo Nocturno.

**V.** Spécie tuâ & pulchritudine tuâ.  
**R.** Intēde, prospere procede, & regna. Pater noster. **Abolutio, Exaudi Dōmine. V.** Jube domne. **Benedictio.** Benedictio perpetua.

De libro Exodi.

## Lectio j.

Cap. 13.

**L**ocutus est Dominus ad Moysen, dicens: Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam in filiis Israël, tam de hominibus quam de jumentis: mea sunt enim omnia. Et ait Moyses ad populum: Cum introduxerit te Dominus in terram Chanaan, sicut juravit tibi & patribus tuis, & dederit tibi eam: separabis omne quod aperit vulvam Dominus, & quod primitivum est in pecoribus tuis: quidquid habueris masculini sexus, consecrabis Domino. Primogenitum asini mutabis oves: quod si non redemeris, interficies. Omne autem primogenitum hominis de filiis tuis, pretio redimes.  
**R.** Adorna thalamum tuum Sion, & suscipe Regem Christum: \* Quem virgo concepit, virgo peperit, virgo post partum, quem genuit, adoravit.  
**V.** Accipiens Simeon puerum in manibus, gratias agens benedixit Dominum. Quem. **Benedictio.** Unigenitus Dei Filius.

De libro Levitici.

## Lectio ij.

Cap. 12.

**L**ocutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filiis Israël, & dices ad eos: Mulier, si suscepto semine pepererit masculum im-

immunda erit septem diebus iuxta dies separationis mēstruæ. Et die octavo circumcidetur infāntulus: ipsa vero triginta diebus manēbit in sanguine purificationis suæ: Omne sanctum non tanget, nec ingredietur in Sanctuārium, donec impleantur dies purificationis suæ. Sin autem femina pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus iuxta ritum fluxūs mēstrui, & sexaginta sex diebus manēbit in sanguine purificationis suæ.

**R.** Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ, secundum legem Mōysi, tulērunt Jesum in Jerūsalem, ut sisterent eum Dōmino. \* Sicut scriptum est in lege Dōmini: Quia omne masculinum adaptans vulvam, sanctum Dōmino vocabitur. **V.** Obtulerunt pro eo Dōmino parvū turturum, aut duos pullos columbarum. Sicut. **Benedictio.** Spiritus sancti grātia.

#### LECTIO IJ.

**C**umque explēti fuerint dies purificationis suæ, pro filio, sive pro filia, dēferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbe sive turturum pro peccato, ad ostium tabernaculi testimoniū, & tradet sacerdoti, qui offeret illa coram Dōmino, & orabit pro ea, & sic mundabitur a profusio sanguinis sui; ista est lex parientis masculini aut feminam. Quod si non invenerit manus ejus, nec poterit offerre agnum, sumet duos turtures vel duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccato; orabitque pro ea sacerdos, & sic mundabitur.

**R.** Obtulerunt pro eo Dōmino parvū turturum, aut duos pullos columbarum, \* Sicut scriptum est in lege Dōmini. **V.** Postquam autem impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Mōysi, tulē-

runt illum in Jerūsalem, ut sisterent eum Dōmino. Sicut scriptum. Glōria Patri. Sicut.

#### In secundo Nocturno.

**V.** Adjuvabit eam Deus vultu suo. **R.** Deus in medio ejus, non commovebitur. Pater noster. **Absolutio.** Ipsius pietas. **V.** Jube domne.

**Benedictio.** Deus Pater omnipotens. Sermo S. Augustini Episcopi.

*Sermone 13. de Temp. cap. 13. post initium.*

#### LECTIO IV.

**S**ic olim prædictum est: Mater Sion dicit: Homo, & homo factus est in ea: & ipse fundavit eam Altissimus. O omnipotens nascentis! ò magnificentia de celo ad terram descendētis! Adhuc in utero portabatur, & ex utero matris à Joanne Baptista salutabatur. In templo præsentabatur, & à Simeone sene, famoso, annoso, probato, coronato, agnoscebatur. Tunc cognovit, tunc adoravit, tunc dixit: Nunc, Dōmine, dimittis servum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum.

**R.** Simeon justus & timoratus expectabat redemptionem Israël: \* Et spiritus sanctus erat in eo. **V.** Respōsum accepit Simeon à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Dōmini. Et Spiritus. **Benedictio.** Christus perpetuæ.

#### LECTIO V.

**D**ifferēbatur exire de sæculo, ut videret natum, per quem cōditum est sæculum. Agnovit infāntem senex, factus est in puer, puer. Innovatus in ætate, qui plebeus erat pietate. Simeon senex ferēbat Christum infāntem, Christus regēbat Simeonis senectutem. Dictum ei fuerat à Dōmino, quod non gustaret mortem, nisi videret Christum

tum Dōmini natum. Natus est Christus, & impletum est desiderium senis in mundi ipsius senectute. Ipse ad senem hominem venit, qui mundum inveteratum invenit.

**R.** Respōsum accepit Simeon à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Dōmini: \* Et benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis servum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum Dōmine. **V.** Cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo: ipse accepit eum in ulnas suas. Et. **Benedictio.** Ignem sui amoris.

#### LECTIO VI.

**I**n isto quidem sæculo diu esse nolēbat, & Christum in hoc sæculo vidēre cupiebat, cantans cum Propheta, & dicens: Ostēde nobis Dōmine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Denique ut noveritis ita esse istius lætitiæ, conclisit, dicens: Nunc dimittis servum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum. Propheta ecclēsurum Conditorē celi & terræ in terra cum hominibus futurum: Angelus nunciavit, Creatōrem carnis & spiritus in carne venturum: salutavit Joannes ex utero in utero Salvatōrem: Simeon senex Deum agnovit infāntem.

**R.** Cum inducerent puerum Jesum parentes ejus in templum, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, accepit eum Simeon in ulnas suas, & benedixit Deum, dicens, \* Nunc dimittis Dōmine servum tuum in pace. **V.** Suscipiens Simeon puerum in manibus, exclamavit, dicens. Nunc. Glōria Patri. Nunc.

#### In tertio Nocturno.

**V.** Elēgit eam Deus, & præelēgit eam. **R.** In tabernaculo suo habitare facit eam. Pater noster. **Absolutio.**

**io.** A vinculis. **V.** Jube domne. **Benedictio.** Evangelica lectio.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

#### LECTIO VII.

**I**n illo tempore: Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Mōysi, tulērunt Jesum in Jerūsalem, ut sisterent eum Dōmino, sicut scriptum est in lege Dōmini. Et reliqua.

Homilia S. Ambrōsii Episcopi.

*Lib. 2. Comm. in Luc. cap. 2. post init.*

**E**t ecce homo erat in Jerūsalem, cui nomen Simeon, & homo iste justus & timoratus, expectans consolationem Israël. Non solum ab Angelis, & Prophētis, & a pastōribus, sed etiam a senioribus & justis generatio Dōmini accipit testimoniū. Omnis ætas, & uterque sexus, eventurumque miracula fidem austruunt. Virgo generat, stérilis parit, mutus loquitur, Elisabeth propheta, Magus adoratur, utero clausus exultat, vidua constititur, justus expectat.

**R.** Suscipiens Jesum in ulnas suas Simeon, exclamavit, & dixit: Tu es verè lumen ad illuminationem Gentium, & gloriā plebis tuæ Israël. **V.** Cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, & ipse accepit eum in ulnas suas, & benedixit Deum, & dixit. Tu es verè. **Benedictio.** Cujus festum cōlimus, ipsa Virgo virginum.

#### LECTIO VIII.

**E**t benè justus, qui non suam, sed pōpuli grātiā requirebat, cupiens ipse corpore vinculis fragilitatis exōlvi, sed expectans vidēre promissum: sciēbat enim quia beati oculi, qui eum viderent. Et ip-

ipse accepit eum in ulnas suas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimitte servum tuum Dómine secundum verbum tuum in pace. Vide justum, velut corpórea carcere molis inclusum, velle dissolvi, ut incipiat esse cum Christo. Dissolvi enim, & cum Christo esse, multo melius est.

**R.** Senex puerum portabat, puer autem senem regébat: \* Quem virgo concépit, virgo péperit, virgo post partum, quem genuit, adoravit. **V.** Accipiens Simeon puerum in manibus, grátias agens benedixit Dómino. Quem virgo, Glória Patri. Quem virgo.

## Lectio iij.

**S**ed qui vult dimitti, véniat in templum, véniat in Jérusalem, expéctet Christum Dómini, accipiat in manibus Verbum Dei, complectatur opéribus velle quibusdam sue fidei brachiis: tunc dimittetur, ut non videat mortem, qui viderit vitam. Vides úberem in omnes grátiam Dómini generatióne diffusam, & prophetiam incredúlitas negatam esse, non justis. Ecce & Simeon prophetam, in ruinam & resurrectionem plurimórum venisse Dóminum Jesum Christum: ut justórum iniquórumque mérita discernat, & pro nostrórum qualitate factórum, iudex verus & justus, aut supplicia decérnat, aut præmia.

Te Deum laudamus. 13.

## AD LAUDES.

## &amp; per Horas, Antiphona.

**S**imeon justus & timorátus expéctabat redemptionem Israël, & Spiritus sanctus erat in eo. Psalm. Dóminus regnavit, cum reliquis de Dominica. 14. **Añs.** Respósum accepit Simeón a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Dó-

minum. **Añs.** Accipiens Simeon puerum in manibus, grátias agens benedixit Dómino. **Añs.** Lumen ad revelationem Géntium, & glóriam plebis tue Israël. **Añs.** Obtulerunt pro eo Dómino par túrturum, aut duos pullos columbárum.

## Capitulum. Malach. 3.

**E**cce ego mitto Angelum meum, & preparábit viam ante faciem meam. Et statim véniet ad templum sanctum suum Dominátor, quem vos queritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis.

## Hymnus.

**O** Gloriósa Virgine,  
Sublimis inter sidera;  
Qui te creávit, párvulum  
Lactente nutris úbere.  
Quod Heva tristis abstulit,  
Tu reddis almo gérmine;  
Intrent ut astra flébiles,  
Cœli relictis cárdines.

Tu Regis alti jánuas,

Et aula lucis fílgida:  
Vitam datam per Virginem.  
Gentes redemptæ plaudite.

Jesu, tibi sit glória,

Qui natus es de Virgine,  
Cum Patre & almo Spirítu,  
In sempitérna sæcula. Amen.

**V.** Diffusa est grátia in lábiis tuis.  
**R.** Propterea benedixit te Deus in ætérnum.

## Ad Benedíctus, Antiphona.

Cum inducerent puerum Jesum patréntes ejus, accepit eum Simeon in ulnas suas, & benedixit Deum, dicens: Nunc dimittis servum tuum in pace.

## Oratio.

**O**mnipotens sempitérne Deus, majestatem tuam supplices exoramus: ut sicut unigenitus Filius tuus hodiérna die cum nostræ carnis substántia in templo est presen-

tá-

tátus; ita nos facias purificátis tibi méntibus presentári. Per eundem Dóminum nostrum.

**Ad Primam in R. brevi dicitur**

**V.** Qui natus es de Maria Virgine.

**Ad Tertiam, Añs.** Respósum accepit Simeon. **Capitulum.** Ecce ego mitto, ut supra.

**R. breve, Spécie tuá \* Et pulchritudine tuá. Spécie tuá. V.** Inténde, prospere procéde, & regna. Et pulchritudine. Glória Patri. Spécie tuá.

**V.** Adjuvabit eam Deus vultu suo.

**R.** Deus in médio ejus, non commovebitur.

## Ad Sextam, Antiphona.

Accipiens Simeon.

**Capitulum. Malach. 3.**

**E**cce véniet, dicit Dóminus exercituum: & quis póterit cogitare dígem adventus ejus, & quis stabit ad vidéndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fúllórum.

**R. br.** Adjuvabit eam \* Deus vultu suo. Adjuvabit. **V.** Deus in médio ejus, non commovebitur. Deus vultu. Glória Patri. Adjuvabit. **V.** Elégit eam Deus, & prælégit eam.

**R.** In tabernáculo suo habitare facit eam.

## Ad Nonam, Antiphona.

Obtulerunt.

**Malach. 3.**

**Capitulum.** Et placebit Dómino sacrificium

Juda, & Jérusalem sicut dies sæculi, & sicut anni antiqui, dicit Dóminus omnipotens.

**R. br.** Elégit eam Deus, \* Et prælégit eam. Elégit eam. **V.** In tabernáculo suo habitare facit eam. Et prælégit. Glória Patri. Elégit. **V.** Diffusa est grátia in lábiis tuis. **R.** Properterea benedixit te Deus in ætérnum.

**Ad Vesperas Añs.** Simeon Justus, cum reliquis de Laudibus. 670.

Psalmi, Capitulum, Hymnus, & **V.**

ut supra in primis Vesperis. 67.

**Ad Magnificat, Antiphona.**  
Hódie beata Virgo Maria puerum Jesum presentavit in templo, & Simeon repletus Spiritu sancto accepit eum in ulnas suas, & benedixit Deum in ætérnum.

**Oratio.** Omnipotens sempitérne Deus, ut supra. 671.

**Deinde fit Commemoratio Sancti Blasii.**

## DIE III. FEBRUARII.

Sancti Blasii Episcopi & Martyris.

**Antiphona.** Iste Sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, & a verbis impiórum non timuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

**V.** Glória & honore coronásti cum Dómine. **R.** Et constituísti eum super ópera manuum tuárum.

## Oratio.

**D**eus, qui nos beati Blasii Martyris tui atque Pontificis annua solemnitate lætificas: concede propitijs; ut cujus natalitia cólimus, de ejusdem étiam protectióne gaudéamus. Per Dóminum.

## Lectio iij.

**B**lásius, Sebaste in Arménia cum virtutum laude florét, ejusdem civitatis Episcopus eligitur. Qui, quo tempore Diocletianus insatiabilem crudelitatem in Christianis exercébat, se in spelunca abdidit montis Argei: ubi tamdiu latuit, dum ab Agricola Presidis militibus venántibus deprehénsus, & ad presidem ductus, ejus jussu conjéctus est in vincula.

Quo in loco multos ægrótos sanavit, qui ad Blasium, ejus fama sanctitatis adducti, deferebantur. In illis puer fuit, qui desperatá a medicis salúte, transversá spiná faucibus inhérente, animam agébat. Productus autem ad Presidem Blásius semel & iterum, cum nec blanditijs, nec minis adduci posset, ut diis

diis sacrificaret, primùm virgīs casus, deindē in equileo ferrēis pectinibus dilaniatus est: postmodū dempto capite, illistrē fidei testimonium Christo Dōmīno dedit, tērtio Nonas Februarii.

Te Deum laudamus. 14.

**DIE IV. FEBRUARII.**

In Festo S. Andreae Corsini Episcopi & Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, lix. præter ea quæ hic ponuntur propria.

In Hymno ad Vesperas & Matutinum dicatur: Hac die lætus meruit suprēmos Laudis honores.

Oratio.

**D**Eus, qui in Ecclesia tua nova semper instauras exempla virtutum: da populo tuo beati Andree Confessoris tui atque Pontificis ita sequi vestigia, ut assequatur & præmia. Per Dominum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

**A**ndream Florentiæ, ex nobili Corsinorum familia natum, parentes precibus à Deo impetrarunt, & beatæ Virgini sponderunt. Qualis autem futurus esset, divino præsigio, antequam nasceretur, ostensum est: nam mater grævīda sibi visa est per quietem lupum edidisse, qui ad Carmelitārum adem pergens, in ipso templi vestibulo statim in agnum conversus est. Adolescens pie & ingenuè educatus, cum sensim ad vitia declinaret, sæpè à matre increpatus fuit. Ubi autem cognovit se parentum voto Deiparæ Virgini dicatum fuisse, Dei amore succensus, deque visu matris admodum, Carmelitārum institutum amplexus est; in quo variis tentationibus à dæmone vexatus, nunquam

tamen potuit à religionis proposito dimoveri. Mox Lutetiam missus, emenso studiōrum curriculo, & lauræ donatus, in patriam revocatur, suique Ordinis regimini in Hetruria præficitur.

**R.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: \*Manus enim mea auxiliabitur ei. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocēbit ei. Manus.

Lectio v.

**I**nterea Fesulana Ecclesia suo viduata Pastore, eum sibi Episcopum elegit: quo munere se indignum æstimans, diu latuit ignotus, donec pueri voce mirabiliter loquentis proditus, & extra urbem inventus, ne divinæ contradiceret voluntati, Episcopatum suscepit. Eâ dignitate auctus, humilitati, quam semper coluerat, impensius incubuit; & pastorali sollicitudini misericordiam in pauperes, liberalitatem, orationis assiduitatem, vigilias, aliasque virtutes adiunxit, & spiritu etiam prophético clarus fuit; adeo ut eius sanctitas ab omnibus celebraretur.

**R.** Posui adiutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe mea: \*Manus enim mea auxiliabitur ei. **V.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

**H**is permotus Urbanus Quintus, ad sedandas Bononiæ turbas Andream legatum misit: quo in munere multa perpessus civium odia, quæ ad internectionem exarsent, summâ prudentiâ restinxit; tum restituta tranquillitate, et propria reversus est. Nec multo post assiduis laboribus, & voluntaria carnis maceratione confectus, obitibus die à beatâ Virgine sibi predicto, ad cœlestia regna migravit anno Domini millesimo trecentesimo

mo

mo septuagesimo tertio, ætatis suæ septuagesimo primo. Quem Urbanus Octavus multis magnisque miraculis clarum Sanctorum numero adscripsit. Ejus corpus Florentiæ in Ecclesia sui Ordinis quiescit, & maxima civium veneratione colitur, quibus non semel in præsentis discrimine præsidio fuit.

**R.** Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrina ejus repleta est: \*Iste intercedat pro peccatis omnium populorum. **V.** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Ipse. Gloria Patri. Ipse.

In tertio Nocturno Homilia Sancti Gregorii Papæ in Evangelium Homo peregrè proficiscens, de Communi Confessoris Pontif. lix.

Vesperæ à Capitulo de sequenti, cum Commemor. præcedentis.

**DIE V. FEBRUARII.**

In Festo Sanctæ Agathæ Virginis & Martyris.

Duplex.

Quando hoc Festum transferitur in aliam diem, ad Vesperas Antiphona Quis es tu, cum reliquis de Laudib. 674. Psalm. Dixit Dominus, cum reliquis de Domini ca. 100. & loco ultimi, Psalm. Laudate Dominum omnes Gentes. 104.

Capitulum. Eclii. 51.

**C**onfitebor tibi Domine rex, & collaudabo te Deum salvatorem meum. Confitebor nomini tuo: quoniam adiutor & protector factus es mihi, & liberasti corpus meum à perditione.

Hymnus.

**J**esu, corona Virginum, Quem Mater illa concipit, Quæ sola virgo parturit, Hæc vota clemens accipe. Qui pergis inter lilia, Septus choris virginum, Sponsus decorus gloriæ, Sponsisque reddens præmia.

Quocumque tendis, Virgines Sequuntur, atque laudibus Post te canentes cursitant, Hymnosque dulces personant.

Te deprecamur supplices, Nostris ut addas sensibus, Nescire prorsus omnia Corruptionis vulnera.

Virtus, honor, laus, gloria Deo Patri cum Filio, Sancto simul Paraclito, In sæculorum sæcula. Amen.

**V.** Spécie tuâ & pulchritudine tuâ. **R.** Intende, prospère procede, & regna.

Ad Magnificat, Antiphona.

Stans beata Agatha in medio carceris, expansis manibus orabat ad Dominum: Domine Jesu Christe, magister bone, grâtias tibi ago, qui me fecisti vincere tormenta carnis: jubee me Domine ad tuam immarcescibilem gloriâ feliciter pervenire.

Oratio.

**D**Eus, qui inter cætera potentia tuæ miracula, etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti: concede propitius; ut qui beatæ Agathæ Virginis & Martyris tuæ natalia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum nostrum.

Deinde fit Commemoratio Sancti Andreae Corsini.

Ad Matutinum, Invitatorium, Regem Virginum Dominum, \*Venite, adorémus. Psalm. Venite, exultemus. r. Hymnus. Virginis Proles, de Communi Virg. lxxxvj.

In primo Nocturno, Antiphona. Ingenua sum, & ex spectabili genere, ut omnis parentela mea testatur. Psalm. Beatus vir, ut in Communi unius Martyris. xxiv. Antiphona. Summa ingenuitas ista est, in qua servitus Christi comprobatur. Psalmus. Quare fremuerunt.

runt. xxiv. **Añā.** Ancilla Christisum, ideo me ostēdo servilem habere personam. **Psalmus.** Dómine, quid multiplicasti. xxv. **Y.** Spēcie tuā & pulchritudine tuā. **R.** Intēnde, prospere procede, & regna.

**Lectiōnes dicuntur de libro Ecclesiastici.** Confitēbor tibi Dómine, ut in **Comuni Virginum.** xcv.

**R. j.** Dum torqueretur beata Agatha in mamilla graviter, dixit ad iudicem: \* Impie, crudelis, & dire tyrānne, non es confusus amputare in femina, quod ipse in matre suxisti? **Y.** Ego enim habeo mamillas integras intus in anima mea, quas ab infāntia Dómino consecravi. Impie. **R. ij.** Agatha lætissimē, & gloriānter ibat ad carcerem, \* Quasi ad epulas invitata; & agōnem suum Dómino pręcibus commendabat. **Y.** Nobilissimis orta natalibus, ab ignobili gaudens trahēbatur ad carcerem. Quasi.

**R. iij.** Quis es tu, qui venisti ad me curare vulnera mea? Ego sum Apóstolus Christi, nihil in me dubites filia: ipse me misit ad te, \* Quem dilexisti mente & puro corde. **Y.** Nam & ego Apóstolus ejus sum, & in nōmine ejus scias te esse curādam. Quem. Glória Patri. Quem.

In secundo Nocturno, **Antiphōna.** Agatha sancta dixit: Si feras mihi promittis, audito Christi nōmine inansuescunt. **Psalm.** Cum invocarem. xxvj. **Añā.** Si ignem adhibeas, forem mihi salvificum de celo Angeli ministrabunt. **Psalmus.** Verba mea. xxvj. **Añā.** Agatha lætissimē & gloriānter ibat ad carcerem, quasi ad epulas invitata: & agōnem suum Dómino pręcibus commendabat. **Psalm.** Dómine Dóminus noster. xxvij. **Y.** Adjuvabit eam Deus vultu suo. **R.** Deus in medio ejus, non commovēbitur.

**Lectio iv.**

**A**gatha Virgo in Sicilia nobilibus parēntibus nata, quam Panhormitani & Catanēses civem suam esse dicunt, in persecutiōe Dēci Imperatoris Cātanz gloriōsi martyrii coronam consecuta est. Nam cum pari pulchritudinis & castitatis laude commendāretur, Quintianus Siciliae Prætor, ejus amore captus est. Sed cum tentat modis omnibus ejus pudicitiam, Agatham in suam sententiā perducere non posset, Christianæ superstitionis nōmine comprehensam, Aphrodisiæ cuidam mulieri depravandam tradit. Quæ Aphrodisiæ consuetudine, cum de constantia colēndæ Christianæ fidei, & servandæ virginitatis, removēri non posset, nūntiat illa Quintiano, se in Agatha operam pēdere. Quare ille ad se Virginem adduci jubet: & Nonne, inquit, te pudet nobili generare natam, humilem & servilem Christianōrum vitam agere? Cui Agatha: Multo præstantior est Christiana humilitas & servitium, regum opibus ac superbiam.

**R.** Ego autem adiuta à Dómino, perseverābo in confessione ejus, qui me salvam fecit, \* Et consolatus est me. **Y.** Grātias tibi ago, Dómine Jesu Christe, qui misisti ad me Apóstolus tuum curare vulnera mea. Et consolatus. **Benedict.** Christus perpetue.

**Lectio v.**

**Q**uamobrem iratus Prætor hanc ei optiōnem dat: velint potius venerari deos, an vim tormentōrum subire. At illa constans in fide, primū colaphis caesa, mittitur in carcerem: unde postmodum educta, cum in sententiā permaneret, edmotis candēntibus laminis in equitole torquetur: tūm ei mamilla abscinditur. Quo in vulnere Quintianum appellans Virgo, Crudelis, inquit,

quit, tyrānne, non te pudet amputare in femina, quod ipse in matre suxisti? Mox conjēcta in vincula, sequenti nocte à sene quodam, qui se Christi Apóstolus esse dicebat, sanāta est. Rursūm evocata à Prætorē, & in Christi confessione perseverans, in acutis tēstulis, & candēntibus carbōnibus ei subiectis volutatur.

**R.** Ipse me curavit, qui per Apóstolum Petrum in custodia me confortavit, pro eo quod jussa sum suspendi in equitole. **Y.** Propter fidem castitatis adjuva me Dómine Deus meus in tortura mamillarum mearum.

**Y.** Ipse me dignatus est ab omni plaga curare, & mamillam meam meo pectore restituerē. Propter. **Benedictio.** Ignem sui amoris.

**Lectio vi.**

**Q**uo tempore ingenti terramōtu urbs tota contrēmit, ac duo parietes corruēntes, Silvium & Falcōnium intimos Prætoris familiares oppresserunt. Quare vehementer commōta civitate, veritus pōpuli tumultum Quintianus, Agatham semimortuam clam reduci imperat in carcerem. Quæ sic Deum precata: Dómine, qui me custodisti ab infāntia, qui abstulisti à me amorem sæculi, qui me carnificum tormentis superiorem præstitisti, accipe animam meam. Eā in oratione migravit in cœlum, Nonis Februarii, cuius corpus à Christianis sepelitur.

**R.** Vidisti Dómine, & spectasti agōnem meum, quomodo pugnavi in stadio; sed quia nolui obedire mandatis principum, \* Jussa sum in mamilla torqueri. **Y.** Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. Jussa sum. Glória Patri. Jussa sum.

In tertio Nocturno, **Antiphōna.** Nisi diligenter pecceris corpus meum à carnificibus attractari, non potest anima mea in paradysum Dómini cum palma intrare martyrii.

*Pars Hyemalis.*

**Psalmus 10.**

**I**n Dómino confido: quomodo dicenti animæ meæ: \* Trāsmigra. in montem sicut passer?

Quoniam ecce peccatōres intendē runt arcum, paravērunt sagittas suas in phāretra, \* ut sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam quæ pecceristi, destruxērunt: \* justus autem quid fecit? Dóminus in templo sancto suo, \* Dóminus in celo sedes ejus. Oculi ejus in pauperem respiciunt: \* pāpebræ ejus intērogant filios hōminum.

Dóminus intērogat justum & impium: \* qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Pluet super peccatōres lāqueos: \* ignis, & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.

Quoniam justus Dóminus, & justitias dilexit: \* æquitatem vidit vultus ejus.

**Añā.** Nisi diligenter pecceris corpus meum à carnificibus attractari, non potest anima mea in paradysum Dómini cum palma intrare martyrii.

**Añā.** Vidisti Dómine agōnem meum, quomodo pugnavi in stadio: sed quia nolui obedire mandatis principum, jussa sum in mamilla torqueri.

**Psalmus 10.**

**D**omine quis habitabit in tabernaculo tuo? \* aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula, \* & operatur justitiam:

Qui loquitur veritatem in corde suo, \* qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit próximo suo malum, \* & opprobrium non accēpit adversus próximos suos.

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: \* timēntes autem Dóminum glorificat:

Vv

Qui

Qui jurat próximo suo, & non decipit, \* qui pecciniam suam non dedit ad usuram, & minera super innocentem non accepit.

Qui facit hæc, \* non movebitur in ætérnum.

**Antiphona.** Vidisti Dómine agónem meum, quómódò pugnavi in stádio: sed quia nolui obedire mandáris principum, jussa sum in mamilla torqueri.

**Antiphona.** Propter fidem castitatis jussa sum suspendi in equúleo: adjuva me Dómine Deus meus in tortúra mamillárum meárum.

**Psalmus 15.**

**C**onsérva me Dómine, quóniam sperávi in te. \* Dixi Dómino: Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sancitis, qui sunt in terra ejus, \* mirificávit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitates eórum: \* postea acceleráverunt.

Non congregábo conventicula eórum de sanguinibus: \* nec memor ero nóminum eórum per labia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ, & cælicis mei: \* tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi.

Funes ceciderunt mihi in præcláris: \* etenim hæreditas mea præclára est mihi.

Benedicám Dóminum, qui tribuit mihi intelléctum: \* insuper & usque ad noctem increpúerunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper: \* quóniam à dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc letátum est cor meum, & exultávit lingua mea: \* insuper & caro mea requiescet in spe.

Quóniam non derelinques animam meam in inférno: \* nec dabis sanctum tuum vidére corruptionem.

Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplébis me lætítia cum vultu tuo: \* delectationes in dextera tua usque in finem.

**Añsa.** Propter fidem castitatis jussa sum suspendi in equúleo: adjuva me Dómine Deus meus in tortúra mamillárum meárum. **Y.** Elégit eam Deus, & prælégit eam. **R.** In tabernáculo suo habitare facit eam. Pater noster. **Absolutio.** A vinculis. **Y.** Jube domne. **Benedictio.** Evangélica lectio.

Lectio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

**Lectio vij.** *Cap. 19.*

**I**n illo tempore: Accesserunt ad Jesum Pharisei tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam, quacúmque ex causa? Et réliqua.

Homilia Sancti Joánnis Chrysósti.

Homilia 63, in *Matth.* sub médium.

**D**ominus noster, quia ad virginitatem hortári grave esse videbátur, à necessitate legis de non solvendo matrimonio, eos ad cupiditatem illius trahere studet. Deinde ut eam esse possibilem ostendat, sic inquit: Sunt eunúchi qui ex ventre matris ita nati sunt, & sunt qui ab hominibus eunúchi facti sunt, & sunt qui seipsos castráverunt propter regnum cælorum. Quibus verbis latenter eos ad eligendam virginitatem inducit, dum eam virtutem esse possibilem ástruit.

**R.** Beata Agatha ingressa cárcerem, expandit manus suas ad Deum, & dixit: Dómine, qui me fecisti vincere tormenta carnificum, \* Jube me ad tuam misericórdiam pervenire. **Y.** Dómine, qui me creásti, & tulisti a me amorem sæculi, qui corpus meum à pollutione separásti. Jube. **Benedictio.** Cujus festum cólimus, ipsa.

Leq

**Lectio vij.**

**I**d autem hoc ferè modò confirmat. Cógita tecum, si aut à natura talis esses, aut ab hominibus eam injúriam passus, quid fáceres, & nullam caréndò mercedem consequerérís? Grátias igitur nunc Deo agas, quod cum mercéde atque coronis idem sustines, quod illi sine coronis ac premio tólerant: immò verò non idem, sed multò lévius; tum quia spe erigeris, & conscientia recte facti; tum quia non ita ingéntibus concupiscéntiæ fluctibus jactáris.

**R.** Medicinam carnálem corpóri meo nunquam exhibui, sed hábeo Dóminum Jesum Christum, \* Qui solo sermone restáurat unívèrsa.

**Y.** Qui me dignátus est ab omni plaga curáre, & mamillam meam meo pectori restituere, ipsum invoco Deum vivum. Qui solo. **Benedictio.** Ad societatem.

**Lectio ix.**

**C**um ergo de illis eunúchis dixerit, qui nisi etiam ipsi mente se contineant, frustra & inutiliter tales sunt: ac de illis, qui ut regnum cælorum consequantur, se continent, subjúnxit rursus, dicens: Qui potest capere, capiat: ut alacriores efficiat eo ipso, quod grave esse opus ostendit, & ineffabili benignitate suá nóluit eam rem intra necessitatem legis concludere: idque dicendo, adhuc magis possibilem esse demonstrat, ut voluntatis stúdium plus augeatur.

Te Deum laudámus. 13.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

**Q**uis es tu, qui venisti ad me curáre vulnera meá? Ego sum Apóstolus Christi, nihil in me dúbites filia. **Psalm.** Dominus regná-

vit, cum reliquis. 14. **Añsa.** Medicinam carnálem corpóri meo nunquam exhibui; sed hábeo Dóminum Jesum Christum, qui solo sermone restáurat unívèrsa. **Añsa.** Grátias tibi ago, Dómine Jesu Christe, quia memor es mei, & misisti ad me Apóstolum tuum curáre vulnera mea. **Añsa.** Benedicto te Pater Dómini mei Jesu Christi, quia per Apóstolum tuum mamillam meam meo pectori restituisti. **Añsa.** Qui me dignátus est ab omni plaga curáre, & mamillam meam meo pectori restituere, ipsum invoco Deum vivum.

**Capitulum.**

**C**onfitebor tibi Dómine rex, & collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitebor nómini tuo: quóniam adjutor & protector factus es mihi, & liberásti corpus meum à perditione.

*Ecclesi. 51.*

**Hymnus.**

**J**esu, coróna Virginum, Quem mater illa concipit, Quæ sola virgo parturit, Hæc vota clemens accipe. Qui pergis inter lilia, Septus choréis Virginum, Sponsus decórus glória, Sponsisque reddens præmia. Quocúmque tendis, Virgines Sequuntur, atque laudibus Post te canentes cursitant, Hymnósque dulces personant. Te deprecámur supplices, Nostris ut addas sénsibus, Nescire prorsus ómnia Corruptionis vulnera. Virtus, honor, laus, glória, Deo Patri cum Filio, Sancto simul Paráclito, In sæculórum sæcula. Amen. **Y.** Diffusa est grátia in labiis tuis. **R.** Propterea benedixit te Deus in ætérnum.

Vv 2

Ad

**Ad Benedictus, Antiphona.**  
Paganorum multitudo fugiens ad sepulchrum Virginis, tulērunt velum ejus contra ignem; ut comprobaret Dominus, quod à periculis incendiū meritis beatæ Agathæ Martyris suæ eos liberaret.

**Oratio.**

**D**eus, qui inter cætera potentia tuæ miracula, etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti: concede propitius; ut qui beatæ Agathæ Virginis & Martyris tuæ natalitia cõlimus, per ejus ad te exẽpla gradiamur. Per Dõminum.

**Ad Tertiam, Antifa.** Medicinam carnalem. **Capitulum.** Consiñebor tibi, ut supra 675.

**R.** breve, Spécie tuâ \*Et pulchritudine tuâ. Spécie tuâ. **V.** Intende, prospère procede, & regna. Et pulchritudine, Glória Patri. Spécie tuâ. **V.** Adjuvabit eam Deus vultu suo. **R.** Deus in medio ejus, non commovëbitur.

**Ad Sextam, Antiphona,**  
Gratias tibi ago.

Eccli. 51.

**Capitulum.**  
Liberasti me secundum multitudinem misericordiarum nominis tui à rugientibus, præparatis ad escam, de manibus quærentium animam meam, & de multis tribulationibus, quæ circumdederunt me.

**R.** breve, Adjuvabit eam Deus vultu suo. Adjuvabit. **V.** Deus in medio ejus, non commovëbitur. Deus vultu. Glória Patri. Adjuvabit. **V.** Elëgit eam Deus, & præelëgit eam. **R.** In tabernaculo suo habitare facit eam.

**Ad Nonam, Antiphona.**  
Qui me dignatus est.

Eccli. 51.

**Capitulum.**  
Audabit usque ad mortem anima mea Dõminum: quoniam eris sustinens te, & liberas eos de manu angustia, Dõmine Deus noster.

**R.** breve, Elëgit eam Deus, \* Et præelëgit eam. Elëgit eam. **V.** In tabernaculo suo habitare facit eam. Et præelëgit. Glória Patri. Elëgit eam. **V.** Diffusa est grãtia in labiis tuis. **R.** Propterea benedixit te Deus in ætërnum.

**Ad Vesperas, Antifa.** Quis es tu, cum reliquis de Laudibus 675. Psalm. Dixit Dõminus, cum reliquis de Dominica, 100. & loco ultimi, Psalmus Lauda Jerusalem. 117. **Capitulum & Hymnus,** ut supra in Laudibus, 675.

**V.** Diffusa est grãtia in labiis tuis. **R.** Propterea benedixit te Deus in ætërnum.

**Ad Magnificat, Antiphona.**  
Stans beatã Agathã in medio carceris, expansis manibus orabat ad Dõminum: Dõmine Jesu Christe, magister bone, grãtias tibi ago, qui me fecisti vincere tormenta carnisificum: jube me Dõmine ad tuam immarcescibilem glõriam feliciter pervenire.

**Oratio.** Deus, qui inter, ut sup.  
Deinde fit Commemor. S. Dorotheæ Virginis & Martyris.

**DIE VI. FEBRUARII.**

**S. Dorotheæ Virginis & Martyris, Antifa.** Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dõminus præparavit in ætërnum. **V.** Spécie tuâ & pulchritudine tuâ. **R.** Intende, prospère procede, & regna.

**Oratio.**

**I**ndulgẽtiam nobis, quæsumus Dõmine, beatã Dorothëa Virgo & Martyr impleret: quæ tibi grãtia semper extitit & merito castitatis, & tuæ professione virtutis. Per Dõminum.

**Lectio iij.**

**D**orothëa virgo, ex Casarëa Cappadocia, propter Christi confessionem ab Apricio Præside comprehensa, Crystæ & Callistæ so-

rõ-

rõribus, quæ à fide desecerant, tradita est, ut eam à proposito removerent. Sed contra factum est: nam eas Dorothëa ad cultum Christianæ religionis reduxit, propter quam etiam martyrium susceperunt. Quare Virgo equileo diu torta, & palmis casa, ad extrẽmum capitis damnata, duplicatam virginitatis & martyrii palmam accëpit.

Te Deum laudamus. 13.

**DIE VII. FEBRUARII.**

In Festo S. Romualdi Abbatis.

**Duplex.**

**Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxij.** præter sequentia.

In Hymno Vesperarum dicitur:

Hac die lætus meruit supremos Laudis honores.

**Oratio.**

**I**ntercessio nos, quasumus Dõmine, beati Romualdi Abbatis commendet: ut quod nostris meritis non valẽmus, ejus patrocinio assequamur. Per Dõminum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

**Lectio iv.**

**R**omualdus Ravennæ, Sërgio patre nobili genere natus, adolescens in propinquo Monasterium Classensẽ penitentiæ causã secëssit: ubi religiosi hõminis sermõne ad pietatis studium vehementius incensus, viso etiam semel & iterum per noctem in Ecclesiã beato Apollinari, quod Dei servus illi futurum promiserat, Mõnachus efficitur. Mox ad Marinum, vitæ sanctitate ac severiorẽ disciplina in finibus Venetorum eo tempore celebrem; se contulit, ut ad arctam & sublimem perfectiõnis viam eo magistro ac duce uteretur.

**R.** Honestum fecit illum Dõminus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: \* Et de-

dit illi claritatem ætërnã. **V.** Justum deduxit Dõminus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et. **Lectio v.**

**M**ultis sãtanæ insidiis, & hõminum invidia oppugnatus, tantò humilior se assidue jejuniis & orationibus exercebat, & rerum cõlestium meditatiõne, vim lacrymarum profundens, fruebatur: vultu tamen aded lato semper erat, ut intuentis exhilararet. Magno apud Principes & Reges in honore fuit; multique ejus consilio, mundi illecebris abjectis, solitudinem petierunt. Martyrii quoque cupiditate flagravat, cujus causã dum in Pannoniam proficiscitur, morbo, quo afflictabatur cum progredere, levabatur cum recederet, reverti cogitur.

**R.** Amavit eum Dõminus, & ornavit eum: stolam glõriæ induit eum, \* Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dõminus lorricam fidei, & ornavit eum. Et ad. **Lectio vj.**

**I**n vita & post mortem miraculis clarus, spiritu etiam prophetia non caruit. Scalat à terra cõelum pertingentem, in similitudinem Jacob Patriarchæ, per quam hõmines in veste candida ascendebant & descendebant, per visum conspexit, eoque Camaldulenses Mõnachos, quorum Instituti auctor fuit, designari mirabiliter agnovit. Denique cum annos centum & viginti ægeret, & centum ipsos in summa vitæ asperitate Deo servisset, ad eum migravit anno salutis millesimo vigesimo septimo. Ejus corpus quinquennio postquam sepultum fuerat, integrum repertum, Fabriani in Ecclesiã sui Ordinis honorificè conditum est.

**R.** Iste homo perfectè omnia quæ locutus est ei Deus, & dixit eum: Ingrederere in requiem meam. \* Quia te vidi justum coram me ex omnibus

Vv 3

gen-



géntibus. **V.** Iste est qui contempnit vitam mundi, & pervénit ad cœlestia regna. Quia. Gloria Patri. Quia. **In tertio Nocturno Homilia Sancti Hieronymi Presbyteri super Evang.** Ecce nos reliquimus omnia, ut in Comuni Abbatum. lxxxiij.

**Vesperæ a Capitulo de sequenti, cum Commemor. precedentis.**

**DIE VIII. FEBRUARII.**

**In Festo S. Joannis de Matha Confessoris.** Duplex.

Omnia de Comuni Confessoris non Pontificis, lxxij. exceptis his quæ hic sunt propria.

In Hymno. Iste Confessor, mutatur tertius Versus.

**Oratio.**

**D**Eus, qui per Sanctum Joannem de Matha Ordinem Sanctissimæ Trinitatis ad redimendum de potestate Saracenorum captivos cœlestis instimere dignatus es: præsta quesumus; ut ejus suffragantibus meritis, a captivitate corporis & animæ, te adjuvante, liberemur. Per Dôminum nostrum.

Deinde fit Commemoratio Sancti Romualdi Abbatis.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente: sed si venerit in Quadragesima, Lectiones de libro Ecclesiastici Beatus vir, de Comuni Confessoris non Pontificis. lxxxj.

In ij. Nocturno. **LECTIO IV.**

**J**oannes de Matha Ordinis Sanctissimæ Trinitatis redemptionis captivorum institutor, Falcône in Provincia natus est, paréntibus pietate & nobilitate conspicuis. Studiorum causâ Aquas Sextias, mox Parisios profectus, confectoque Theologiæ curriculum, Magisterii lauream adeptus, doctrinæ & virtutum splendore enituit. Quibus motus Parisiensis Antistes, ad sacrum Presbyteratum ordinem præ humilitate reluctan-

tem promovit, eo consilio, ut in ea civitate commorans, sapientiâ & moribus studiosæ juventuti præcederet. Cum autem in sacello ejusdem Episcopi, ipso cum aliis adstante, primum Deo Sacrum offerret, cœlesti favore meruit recreari. Nam Angelus candidâ & fulgenti veste indutus, cui in pectore crux rubei & cerulei coloris assuta erat, brachiis cancellatis, & super duos captivos ad latera positos, Christianum unum, alterum Maurum, extensis apparuit. Quâ visione in extasim raptus, intellēxit protinus vir Dei, se ad redimendos ab infidelibus captivos destinari.

**R.** Honestum fecit illum Dôminus, & custodivit eum ab iniuriis, & ad seductoribus tutavit illum: & Et dedit illi claritatem æternam.

**V.** Justum deduxit Dôminus per vias rectas, & ostēdit illi regnum Dei. Et dedit.

**LECTIO V.**

**Q**UO verò maturus in re tanti momentî procederet, in solitudinem recessit, ibique divino nutu factum est, ut Felicem Valésium in ipsa eremo jam multis annis degentem repererit, cum quo initâ societate, se per triennium in oratione & contemplatione, omniumque virtutum studio exercuit. Contigit autem, ut dum secum de rebus divinis prope fontem colloquerentur, cervus ad eos accesserit, Crucem inter cornua gerens, rubei & cerulei coloris. Cùmque Felix ob rei novitatem miraretur, narravit ei Joannes visionem in prima Missa habitam: & exinde ferventibus orationi incumbentes, ter in somnis admôniti, Romam profecti decreverunt, ut à Summo Pontifice novi Ordinis pro redimendis captivis institutionem impetrarent. Electus fuerat eo tempore Innocentius Tertius, qui illis

illis benigne acceptis, dum secum de re propôita deliberat, in Festo Sanctæ Agnetis secundo, Laterani intra Missarum solœnnia ad sacræ Hostiæ elevationem Angelus ei candidâ veste, cruce bicolôri, specie redimentis captivos apparuit. Quo viso Pontifex institutum approbavit, & novum Ordinem Sanctissimæ Trinitatis redemptionis captivorum vocari jussit, ejusque Professoribus albas vestes cum cruce rubei & cerulei coloris præbuit.

**R.** Amavit eum Dôminus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, & Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dôminus locum fidei, & ornavit eum. Et ad.

**LECTIO VI.**

**S**ic stabilio Ordine, sancti Fundatores in Galliam redierunt, primoque Cœnobio Cervi frigidî in Diocesi Meldensi constructo, ad ejus regimen Felix remansit: & Joannes Romam cum aliquot sociis reversus est, ubi Innocentius domum, Ecclesiâ, & hospitale Sancti Thomæ de Formis in monte Cœlio eis donavit, cum multis redditibus, & possessionibus. Datis quoque litteris ad Miramolinum regem Marochii, opus redemptionis felici auspicio inchoatum fuit. Tum ad Hispanias, sub jugo Saracenorum magnâ ex parte oppressas, Joannes profectus est, Regumque, Principum, atque aliorum fideliû animos ad captivorum & pauperum commiserationem commovit. Monasteria ædificavit, Hospitalia erexit, magnoque luero animarum plures captivos redemit. Romam tandem reversus, sanctisque operibus incumbens, assiduis laboribus attritus, & morbo confectus, ardentissimo Dei & proximi amore exæstians, ad extremum devenit. Quare fratribus convocatis, eisque ad opus redemptionis cœlitus præ-

monstratum efficaciter cohortatis, obdormivit in Dômino sexto decimo Kalendas Januarii, anno salutis millesimo ducentesimo decimo tertio; ejusque corpus in ipsa Ecclesiâ Sancti Thomæ de Formis condigno honore tumulatum fuit.

**V.** Iste homo perfecit omnia quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrêdere in requiem meam: Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. **V.** Iste est qui contempnit vitam mundi, & pervénit ad cœlestia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno Homilia Sancti Gregorii Papæ in Evangelium Sint lumbi vestri, de Comuni Confessoris non Pontificis. lxxvij. In secundis Vesperis fit Comm.

S. Apollonia Virginis & Martyris.

**DIE IX. FEBRUARII.**

S. Apollonia Virginis & Martyris. Oratio.

**D**Eus, qui inter cœtera potentiae tuae miracula, etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti: concede propitiis; ut qui beatæ Apolloniae Virginis & Martyris tuae natalitia colimus, per ejus ad te exemplâ gradiamur. Per Dôminum.

**LECTIO IJ.**

**A**pollonia, virgo Alexandrina, sub Décio Imperatore, cùm ingravescente jam ætate ad idola sisteretur, ut eis venerationem adhiberet: illis contempnis, Jesum Christum verum Deum colendum esse prædicabat. Quàmobrem omnes ei contusi sunt & evulsis dentes: ac, nisi Christum detestata deos coleret, acceus rogo combusturus vivamminatus sit impii carnifices. Quibus illa, se quamvis mortem pro Jesu Christi fide subitam, respondit. Itaque comprehensa ut combureretur, cùm paulisper, quasi deliberans quid agendum esset, stitisset, ex illorum manibus elapsa, alaceris in ignem si-

bi paratum majori Spiritus sancti flamma intus accensa, se injectit. Unde brevi consumpto corpore, purissimus spiritus in caelum ad sempiternam martyrii coronam evolavit.

Te Deum laudamus. 13.

**DIE X. FEBRUARII.**

In Festo S. Scholasticae Virg. Dupl. Omnia de Communi Virg. lxxxiv. prater sequent. Oratio.

**D**Eus, qui animam beatae Virginis tuae Scholasticae, ad ostendendam innocentiae viam, in columbae specie caelum penetrare fecisti: da nobis ejus meritis, & precibus ita innocenter vivere, ut ad aeterna mereamur gaudia pervenire. Per Dominum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente, In Quadragesima Lectiones De Virginitus praecceptum Domini non habeo, ut in Communi Virginum. lxxxviii. In secundo Nocturno.

Ex libro secundo Dialogorum Sancti Gregorii Papae.

Lectio iv.

**S**cholastica venerabilis Patris Benedicti soror, omnipotenti Domino ab ipso infantiae tempore dedicata, ad eum semel per annum venire consueverat: ad quam vir Dei non longe extra januam in possessione Monasterii descendebat. Quadam vero die venit ex more, atque ad eam cum discipulis venerabilis ejus descendit frater, qui tunc diem in die laudibus, sacrisque colloquiis, ducentes, incumbens jam noctis tenebris, simul acceperunt cibum. Cumque adhuc ad mensam sederent, & inter sacra colloquia tardior se hora protraheret, eadem sanctimonialis femina soror ejus eum rogavit, dicens: Quaso te, ut ista nocte me non deseras, ut usque mane de celestis vitae gaudiis loquamur. Cui ille

respondit: Quid est quod loqueris soror? manere extra cellam nullatenus possum. Tanta vero erat coeli serenitas, ut nulla in aere nubes appareret. Sanctimonialis autem femina, cum verba fratris negantis audivisset, insertas digitis manus super mensam posuit, & caput in manibus omnipotentem Dominum rogatui declinavit. Cumque levaret de mensa caput, tanta coruscationis, & tonitruus virtus, tantaque inundatio pluviae erupit; ut neque venerabilis Benedictus, neque fratres, qui cum eo aderant, extra loci limen, quo considerant, pedem movere potuerint.

Propter veritatem. xcj.

Lectio v.

**S**anctimonialis quippe femina caput in manibus declinans lacrymarum fluvium in mensam fuderat, per quas serenitatem aëris ad pluviam traxit. Nec paulo tardius post orationem inundatio illa secuta est, sed tanta fuit convenientia orationis & inundationis, ut de mensa caput jam cum tonitruo levaret: quatenus unum idemque esse momentum & levare caput, & pluviam deponere. Tunc vir Dei inter coruscas & tonitruos, atque ingentis pluviae inundationem, videns se ad Monasterium non posse remeare, cepit conqueri contristatus, dicens: Parcat tibi omnipotens Deus, soror, quid est quod fecisti? Cui illa respondit: Ecce rogavi te, & auditio me noluit: rogavi Deum meum, & audivit me: modo ergo, si potes, egrèdere, & me dimissa, ad Monasterium recede. Ipse autem exire extra tectum non valens, qui remanere sponte noluit in loco, mansit involutus. Sicque factum est, ut totam noctem pervigilem dicerent, atque per sacra spiritalis vitae colloquia, sese vicaria relatione satiarent.

Dilexisti justitiam. xcj.

Lec-

**Lectio vi.**

**C**umque die altero eadem venerabilis femina ad cellam propriam recessisset, vir Dei ad Monasterium rediit. Cum ecce, post triduum in cella consistens, elevatis in aera oculis, vidit ejusdem sororis suae animam de corpore egressam, in columbae specie caeli secreta penetrare. Qui tanta ejus gloriae congaudens, omnipotenti Deo in hymnis, & laudibus gratias reddidit, ejusque obitum fratribus denuntiavit. Quos etiam protinus misit, ut ejus corpus ad Monasterium deferrent, atque in sepulchro, quod sibi ipsi paraverat, ponerent. Quo facto contigit, ut quorum mens una semper in Deo fuerat, eorum quoque corpora nec sepultura separaret.

Afferentur Regi. xcj.

In tertio Nocturno Homilia Sancti Gregorii Papae in Evangelium. Simile erit regnum de Communi Virginum. xciiij.

Si celebretur in Quadrag. Lectio ix. erit de Homilia Feriae occurrentis cum ejus Commemoratione in Laudibus, & Vesperis.

**DIE XIV. FEBRUARII.**

S. Valentini Presbyteri & Martyris.

Oratio.

**P**raesta, quaesumus omnipotens Deus; ut qui beati Valentini Martyris tui nativitate colimus, a cunctis malis imminentibus, ejus intercessionem liberemur. Per Dominum.

Sermo Sancti Augustini Episcopi.

Sermo 44. de Sanctis.

Lectio iij.

**T**riumphalis beati Martyris Valentini dies hodie nobis anniversaria celebritate recurrit: cujus glorificationi sicut congaudet Ecclesia, sic ejus proponit sequenda vestigia. Si enim compatimur, & con-

glorificabimur. In cujus glorioso agone duo nobis praecipue consideranda sunt: indurata videlicet tortoris saevitia, & Martyris invicta patientia. Saevitia tortoris, ut eam detestemur patientiam Martyris, ut eam imitemur. Audi Palmistam adversus malignitatem increpantem: Noli zemulari in malignitibus: quoniam tamquam foenum velociter arcescit. Quod autem adversus malignantes patientiam exhibenda sit, audi Apostolum suadentem: Patientia vobis necessaria est, ut reportetis promissiones.

Te Deum laudamus. 13.

**DIE XV. FEBRUARII.**

SS. Faustini & Jovita Martyrum.

Oratio.

**D**Eus, qui nos annua Sanctorum Martyrum tuorum Faustini & Jovita solemnitate laetificas; concede propitius; ut quorum gaudemus meritis, accendamus exemplis. Per Dominum nostrum.

**¶ ij.** Haec est vera fraternitas, qua numquam potuit violari certamine: qui effusus sanguine secuti sunt Dominum: \* Commemnetes aulam regiam, pervenerunt ad regna caelestia. **¶.** Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in unum. Commemnetes. Gloria Patri. Commemnetes.

**Lectio iij.**

**F**austinus & Jovita fratres, nobilibus Brixiani, in multis Italiae urbibus, quo vincti saeviente Trajani persecutione ducebantur, acerbissima supplicia perpessi, fortes in Christianae fidei confessione perstitērunt. Nam Brixiae diu vinculis constructi, feris etiam obiecti, in ignemque conjecti, & à bestis, & à flamma integri & incolumes servati sunt: inde vero eisdem catenis col-

colligati Mediolanum venerunt, ubi eorum fides tentata exquisitissimis tormentis, tamquam igne aurum, in cruciatibus magis enituit. Postea Romam missi, ab Evaristo Pontifice confirmati, ibi quoque crudelissime torquentur. Denique perdicti Neapolim, in ea etiam urbe varie cruciati, vincitis manibus pedibusque in mare demerguntur: unde per Angelos mirabiliter erepti sunt. Quare multos & constantia in tormentis, & miraculorum virtute ad Christi fidem converterunt. Postremo ad rediendam Brixiam initio suscepti ab Adriano Imperii, securi percussi, illustrem martyrii coronam acceperunt.

Te Deum laudamus. 13.

## DIE XVIII FEBRUARII.

S. Siméonis Episcopi & Martyris.  
Oratio.

**I**nfirmatam nostram respice omnipotens Deus: & quia pondus propriæ actionis gravat, beati Siméonis Martyris tui atque Pontificis intercessio gloriosa nos protegat. Per Dñm nostrum.

### Lectio iij.

**S**imeon, filius Cleophae, post Jacobum proximum Jerosolymis ordinatus Episcopus, Traiano Imperatore apud Atticum consularem est accusatus, quod Christianus esset, & Christi propinquus. Comprehendebantur enim omnes eo tempore, quicumque ex genere David orti essent. Quare, multis cruciatus tormentis, eodem passionis genere, quod Salvator noster subierat, afficitur: mirantibus omnibus, quod homo ætate confectus, (erat enim centum & viginti annorum) acerbissimos crucis dolores fortiter constantemque pateretur.

Te Deum laudamus. 13.

DIE XXII FEBRUARII.  
In Cathedra Sancti Petri Antiochia.  
Duplex.

Ad Vesperas, Añ. Ecce sacerdos magnus, cum reliquis de Laudibus. 682. Psalmus. Dixit Dominus, cum reliquis de Dominica, 100. & loco ultimi, Psalmus Laudate Dñm omnes Gentes. 104.

Capitulum. *Eccli 44. c.*  
**E**cce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inventus est iustus: & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.

### Hymnus.

**Q**uodcumque in orbe nexibus revinxeris,  
Erit revinctum, Petre, in arce siderum:

Et quod resolvit hic potestas tradita,  
Erit solutum caeli in alto vertice:

In fine mundi iudicabis saeculum.  
Patri perenne sit per avum gloria,  
Tibique laudes concinamus inclytas,  
Aeternæ Nate, sit, superne Spiritus,  
Honor tibi decusque: sancta jugiter  
Laudetur omne Trinitas per saeculum. Amen.

¶ Tu es Petrus. R. Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.

Ad Magnificat, Antiphona.  
Tu es pastor ovium, princeps Apostolorum; tibi traditæ sunt claves regni caelorum.

### Oratio.

**D**eus, qui beato Petro Apostolo tuo, collatis clavibus regni caelæstis, ligandi atque solvendi pontificium tradidisti: concede, ut intercessionis ejus auxilio, à peccatorum nostrorum nexibus liberemur. Qui vivis & regnas.

Deinde fit Commemor. S. Pauli.  
Añ. Sancte Paule Apostole, prædicator veritatis, & Doctor Gentium, intercede pro nobis ad Deum, qui te elegit. X. Tu es vas electionis sanc-

te

te Paule Apostole. R. Prædicator veritatis in universo mundo.

### Oratio.

**D**eus, qui multitudinem Gentium beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti: da nobis quesumus; ut ejus Commemorationem colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per Dñm nostrum.

### Ad Matutinum, Invitatorium.

Tu es pastor ovium, princeps Apostolorum: \* Tibi tradidit Deus claves regni caelorum. Psalm. Venite, exultemus. 1. Hymnus. Quodcumque, ut supra in Vesperis. 682.

In primo Nocturno, Antiphona.  
Beatus vir, cum aliis Antiphonis, Psalmis, & Vv. de Comuni Confessoris Pontificis. IX.

Lectiones verò & Responsoria hujus Nocturni, ut in festo Cathedrae Romanae xvij. Januarii. 632.

### In secundo Nocturno.

Sermo Sancti Augustini Episcopi.  
Sermone 15. de Sanctis.

### Lectio iv.

**I**nstitutio solemnitatis hodiernæ à senioribus nostris Cathedrae nomen accepit, ideò quòd primus Apostolorum Petrus hodiè Episcopatus Cathedram suscepisse referatur. Rectè ergo Ecclesiae natalem Sedis illius colunt, quam Apostolus pro Ecclesiarum salute suscepit, dicente Domino: Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.

R. Tu es pastor ovium, princeps Apostolorum: tibi tradidit Deus omnia regna mundi: \* Et ideò tibi traditæ sunt claves regni caelorum. X. Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in caelis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in caelis. Et ideò.

### Lectio v.

**P**etrum itaque fundamentum Ecclesiae Dominum nominavit: & ideò dignè fundamentum hoc Ecclesiae colit, supra quòd Ecclesiastici aedificii altitudo consurgit. Undè convenienter Psalmus, qui lectus est, dicit: Exaltent eum in Ecclesia plebis, & in cathedra seniorum laudent eum. Benedictus Deus, qui beatum Petrum Apostolum in Ecclesia exaltari præcepit: quia dignum est, ut fundamentum hoc in Ecclesia honoretur, per quòd ad caelum conscenditur.

R. Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua: \* Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. X. Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in caelis. Et tu.

### Lectio vj.

**Q**uòd natalis ergo Cathedrae hodiè colitur, sacerdotale honoratur officium. Sibi hoc Ecclesiae invicem præstant, quia tanto necesse plus habet Ecclesia dignitatis, quanto sacerdotale officium plus honoris. Cum solemnitàtem hanc Ecclesiam merito religiosa observatio introduxerit: miror, cur apud quosdam infidelés hodiè tam perniciosus error inrevertit, ut super tumulos defunctorum cibos & vina conferant, quasi egressæ de corporibus anime carnales cibos requirant.

R. Petre amas me? tu es Dñme, quia amo te. \* Pasce oves meas.

V. Simon Joannis diligis me plus his? tu es Dñme, quia amo te. Pasce. Gloria Patri. Pasce.

### In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum.

### Lectio vij.

Cap. 16. b

**I**n illo tempore: Venit Jesus in partes Caesareæ Philippis: & interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? Et reliqua.

Ho-

Homilia Sancti Leonis Papa.

*Sermone 3. in annivers. Assumpt. suae, post initium.*

**A** Postolos Dominus, quid de se homines opinentur, interrogat: & tandem sermo respondentium communis est, quamdiu humanae intelligentiae ambiguitas explicatur. At ubi quid habeat sensus discipulorum exigitur, primus est in Domini confessione, qui primus est in Apostolica dignitate. Qui cum dixisset: Tu es Christus Filius Dei vivi: respondit ei Jesus: Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est. Id est, ideo beatus es, quia Pater meus te docuit, nec terrena opinio te fecerit, sed inspiratio coelestis instruxit: & non caro & sanguis, sed ille me tibi, cujus sum unigenitus Filius, indicavit.

**R.** Quem dicunt homines esse Filium hominis? dixit Jesus discipulis suis. Respondens Petrus, dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi. \* Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. **V.** Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in caelis. Et ego.

*Lectio vii.*

**E** T ego, inquit, dico tibi, hoc est, sicut Pater meus tibi manifestavit divinitatem meam, ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus, id est, cum ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum, ego fundamentum praeter quod nemo potest aliud ponere: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quae mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, & portae inferi non prevalebunt ad-

versus eam. Super hanc, inquit, fortitudinem aeternum extruam templum: & Ecclesiae meae caelo inserenda sublimitas, in hujus fidei firmitate consurgit.

**R.** Elegit te Dominus sacerdotem sibi ad sacrificandum ei \* Hostiam laudis. **V.** Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua. Hostiam. Gloria Patri. Hostiam.

Si hoc Festum ante Quadragesimam venerit in Sabbato, vel transferatur in Feriam ij. & annus non fuerit Bissextilis, legitur nona Lectio de Homilia Vigilae S. Mathiae, & de ea fit Commemor. ad Laudes post Commemorationem S. Pauli. In Quadragesima autem ij. Lectio, erit de Homilia Vigilae occurrentis, cum Commemoratione de ea, & nihil fit de Vigilae, nisi in Missa.

*Lectio ix.*

**H** Anc confessionem portae inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt: vox enim ista, vox vitae est. Et sicut confessores suos in coelestia provehit, ita negatores ad inferna demergit. Propter quod dicit beatissimo Petro: Tibi dabo claves regni caelorum: Et quaecumque ligaveris super terram, erunt ligatae & in caelis: & quaecumque solveris super terram, erunt soluta & in caelis. Transivit quidem etiam in alios Apostolos vis potestatis istius, & ad omnes Ecclesiae principes decreti hujus constitutio commovit: sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiae rectoribus Petri forma praepōnitur. Manet ergo Petri privilegium, ubicumque ex ipsius fertur aequitate iudicium. Nec nimia est vel severitas, vel remissio, ubi nihil erit ligatum, nihil solutum, nisi quod beatus Petrus aut solverit, aut ligaverit.

Te Deum laudamus. 13.

AD

AD LAUDES.

& per Horas Antiphona.

**E**cce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inventus est justus. **Psalmus.** Dominus regnavit, cum reliquis. 14. **Antiphona.** Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi. **Antiphona.** Ideo iurejurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam. **Antiphona.** Sacerdotes Dei benedicite Dominum: servi Domini hymnum dicite Deo, alleluia. **Añz.** Serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.

*Capitulum.*

*Eccli. 44. c.*

**E**cce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inventus est justus: & in tempore iracundiae factus est reconciliatio.

*Hymnus.*

**B**eate Pastor Petre, clemens accipe Voces precantium: criminumque vincula Verbo resolve, cui potestas tradita Aperire terris caelum, apertum claudere.

Sit Trinitati sempiterna gloria, Honor, potestas, atque jubilatio, In Unitate, quae gubernat omnia, Per universa aeternitatis saecula. Amen.

**V.** Exultent eum in Ecclesia plebis. **R.** Et in cathedra seniorum laudent eum.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in caelis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in caelis: dicit Dominus Simoni Petro.

*Oratio.*

**D**eus, qui beato Petro Apostolo tuo, collatis clavibus regni coelestis, ligandi atque solvendi pontificum tradidisti: concede, ut intercessionis ejus auxilio, a peccatorum nostrorum nexibus liberemur. Qui

vivis & regnas cum Deo Patre.

*Deinde fit Commemor. S. Pauli.*

**Añz.** Sancte Paule Apostole, praedicator veritatis, & Doctor Gentium, intercede pro nobis ad Deum, qui te elegit. **V.** Tu es vase electionis sancte Paule Apostole. **R.** Praedicator veritatis in universo mundo.

*Oratio.*

**D**eus, qui multitudinem Gentium beati Pauli Apostoli praedicatione docuisti: da nobis quasumus; ut ejus Commemorationem coelimum, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum.

*Ad Tertiam, Añz.* Non est inventus. *Capitulum.* Ecce sacerdos magnus, ut supra.

**R.** Amavit eum Dominus. \* Et ornavit eum. Amavit. **R.** Stolum gloriae induit eum. Et ornavit. Gloria Patri. Amavit. **V.** Elegit eum Dominus sacerdotem sibi. **R.** Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

*Ad Sextam, Antiphona.*

Ideo iurejurando.

*Capitulum.* *Eccli. 44. c.*

**N**on est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi: ideo iurejurando fecit illum Dominus crescere plebem suam. **R.** Elegit eum Dominus \* Sacerdotem sibi. Elegit. **V.** Ad sacrificandum ei hostiam laudis. Sacerdotem. Gloria Patri. Elegit. **V.** Tu es sacerdos in aeternum. **R.** Secundum ordinem Melchisedech.

*Ad Nonam Antiphona.*

Serve bone.

*Capitulum.* *Eccli. 45. c.*

**F**ungi sacerdotio, & habere laudem in nomine ipsius, & offerre illi incensum dignum in odorem suavitatis.

**R.** Breve. Tu es sacerdos. \* In aeternum. Tu es. **V.** Secundum ordinem Melchisedech. In aeternum. Gloria Patri. Tu es. **V.** Justum

de-

deduxit Dóminus per vias rectas.  
R. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Vesperas, Antiphona. Ecce sacerdos magnus, cum reliquis de Laud. 687. Psal. Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica, 100. & loco ultimi, Psalmus Meménto Dómine David. 109.

Capitulum, & Hymnus, ut supra in primis Vesperis. 682.

Y. Elégit te Dóminus sacerdotem sibi. R. Ad sacrificandum ei hóstitiam laudis.

Ad Magnificat, Antiphona. Dum esset summus Póntifex terréna non méruit, sed ad cœlestia regna gloriósius migrávit.

Oratio. Deus, qui, ut supra. 687. Postea fit Commemoratio Sancti Pauli, ut supra in Laudibus.

DIE XXIII. vel XXIV.

Februarii anno Bissextili.

In Vigilia S. Mathiæ Apostoli, si non venerit in Quadragesima, tres Lectiones leguntur de Homilia Sancti Gregorii Papæ in Evangelium Hoc est præceptum meum, ut in Vigilia Apostolorum. J.

si autem venerit in Quadragesima, nihil fit de Vigilia, nisi in Missa.

Oratio.

DA, quæsumus omnipotens Deus; ut beati Mathiæ Apostoli tui, quam prævenimus veneranda sollemnitas, & devotiónem nobis augeat & salutem. Per Dóminum nostrum.

DIE XXIV. vel XXV.

Februarii anno Bissextili.

In Festo Sancti Mathiæ Apostoli. Duplex.

Omnia dicuntur de Communi Apostolorum, j. præter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui beatum Mathiam Apostolorum tuorum collégio sociásti: tribue quæsumus; ut ejus interventióne, tuæ circa nos pie-

tatis semper viscera sentiamus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

In primo Nocturno.  
De Actibus Apostolorum.

LECTIO j. *Cap. i. c.*  
IN diébus illis exurgens Petrus in medio fratrum dixit (erat autem turba hóminum simul, ferè centum viginti.) Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eórum, qui comprehendérunt Jesum: qui connumerátus erat in nobis, & sortitus est sortem ministérii hujus. Et hic quidem possédit agrum de mercede iniquitátis, & suspénsus crepuit médius: & diffusa sunt omnia viscera ejus.

R. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio lupórum, dicit Dóminus: Estote ergo prudéntes sicut serpentes, & simplices sicut colúmbæ. Y. Dum lucem habétis, erédite in lucem, ut filii lucis sitis. Estote.

LECTIO ij.

EST notum factum est ómnibus habitántibus Jérusalem, ita ut appellaretur ager ille, lingua eórum, Hacedama, hoc est, ager sanguinis. Scriptum est enim in libro Psalmórum: Fiat commemoratio eórum desérta, & non sit qui inhabitet in ea: & episcopátum ejus accipiat alter. Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tēpore, quo intrávit & exiit inter nos Dóminus Jesus, incipiens à baptismo Joánnis usque in diem, qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis.

R. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, & discite à me, quia mitis sum, & húmilis corde: Jugum enim meum suáve est, & onus meum leve. Y. Et invenietis requiem animabus vestris. Jugum.

LECTIO

LECTIO iij.

ET statuerunt duos, Joseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominátus est Justus: & Mathiam. Et orántes dixerunt: Tu Dómine, qui corda nosti ómnium, ostēde, quem elégeris ex his duóbus unum accipere locum ministérii hujus, & Apostolátus, de quo prævaricátus est Judas ut abiret in locum suum. Et dederunt sortes eis, & cecidit sors super Mathiam, & annuerátus est cum undecim Apóstolis.

R. Dum steteritis ante reges & præsidés, nolite cogitare quomodo aut quid loquámini: Dabitur enim vobis in illa hora, quid loquámini. Y. Non enim vos estis qui loquimini: sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Dabitur enim. Glória Patri. Dabitur.

In secundo Nocturno.

De Expositione Sancti Augustini Episcopi super Psalmum octogésimum sextum.

Ante médium.

LECTIO iv.

FUNDaménta ejus in montibus sanctis: diligit Dóminus portas Sion. Quare sunt fundamenta Apóstoli, & Prophæta? Quia eórum auctoritas portat infirmitatem nostram. Quare sunt portæ? Quia per ipsos intrámus ad regnum Dei. Prædicant enim nobis: & cum per ipsos intrámus, per Christum intrámus. Ipse est enim janua. Et cum dicuntur duódecim portæ Jérusalem, & una porta Christus, & duódecim portæ Christus, quia in duódecim portis Christus: & idè duodenarius número Apostolorum. Sacraméntum magnum hujus duodenarii significatio est numeri. Sedébitis, inquit, super duódecim sedes, judicantes duódecim tribus Israël.

R. Vidi conjunctos viros habentes

spléndidas vestes, & Angelus Dómini locútus est ad me, dicens: Isti sunt viri sancti, facti amici Dei. Y. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium cœlum, voce magna clamántem, & dicentem. Isti sunt.

LECTIO v.

SI duódecim sellæ ibi sunt, non est ubi sédeat tertiusdecimus Paulus Apóstolus, & non erit quomodo judicet: & ipse se judicáturum dixit, non hómines tantum, sed & ángelos. Quos ángelos, nisi apóstatas ángelos? Nescitis, inquit, quia ángelos judicábimus? Responderet ergo turba: Quid te jactas judicáturum? Ubi sedébis? Duódecim sedes dixit Dóminus duódecim Apóstolos: unus cecidit Judas, in locum ipsius Sanctus Mathias ordinátus est; implétus est duodenarius número sédium: primò locum inveni, ubi sédeas, & sic te minare judicáturum. Duódecim ergo sedes quid sibi velint, videámus. Sacraméntum est ejuódam universitátis, quia per totum orbem terrarum futúra erat Ecclesiá: undè vocátur hoc ædificium ad Christi compagem.

R. Beati estis cum maledixerint vobis hómines, & persecútí vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me: Gaudete, & exultate, quóniam merces vestra copiósa est in cœlis. Y. Cum vos óderint hómines, & cum separaverint vos, & exprobraverint, & egerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hóminis. Gaudete.

LECTIO vj.

ET idè quia undique venit ad judicandum, duódecim sedes sunt; sicut quia undique intrátur in illam civitatem, duódecim portæ sunt. Non solum ergo illi duódecim,

& Apóstolus Paulus, sed quotquot iudicantur sunt, propter significationem universitatis ad sedes duodecim pertinent: quemadmodum quotquot intrabunt, ad duodecim portas pertinent. Partes enim mundi quatuor sunt, Oriens, Occidens, Aquilo, & Meridies. Istæ quatuor partes assidue nominantur in Scripturis. Ab istis quatuor ventis, sicut dicit Dominus in Evangelio, à quatuor ventis se collecturum electos suos: ab omnibus ergo istis quatuor ventis vocatur Ecclesia. Quomodo vocatur? Undique in Trinitate vocatur. Non vocatur, nisi per baptismum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Quatuor ergo ter ducta duodecim inveniuntur.

**R.** Isti sunt triumphatores, & amici Dei, qui contentinè jussa principum, meruerunt premia aeterna: **M.** Modò coronantur, & accipiunt palmam. **V.** Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lavaverunt stolas suas in sanguine Agni. Modò. Glória Patri. Modò.

### In tercio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

### Lectio vii. Cap. 11. d.

**I**n illo tempore: Respondens Jesus, dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terre, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi. *Sermone 10. de Verbis Domini.*

**V**enite ad me omnes, qui laboratis. Quare enim omnes laboramus, nisi quia sumus homines mortales, fragiles, infirmi, lutea vasa portantes, quæ faciunt invicem angustias? Sed si angustiantur vasa carnis, dilatentur spatia cha-

ritatis. Quid ergo dicit, Venite ad me omnes qui laboratis, nisi ut non laboretis? Denique promissio ejus in promptu est, quoniam laborantes vocavit. Quærent forte, quæ mercede vocati sunt. Et ego vos, inquit, reficiam. Tollite jugum meum super vos, & discite a me, non mundum fabricare, non cuncta visibilia & invisibilia creare, non in ipso mundo mirabilia facere, & mortuos suscitare, sed quoniam mitis sum, & humilis corde.

**R.** Isti sunt qui viventes in carne, plantaverunt Ecclesiam sanguine suo: **M.** Calicem Domini biberunt, & amici Dei facti sunt. **V.** In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Calicem Domini.

### Lectio viij.

**M**agnus esse vis? à minimo incipite. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis. Et quantum quisque vult, & disponit superimponere molem ædificii, quantum erit majus ædificium, tantò altius fodit fundamentum. Et fabrica quidem cum construitur, in superna consurgit: qui autem fodit fundamentum, ad ima deprimitur. Ergo & fabrica ante celsitudinem humiliatur, & fastigium post humilitationem erigitur.

**R.** Isti sunt viri sancti, quos elegit Dominus in charitate non facta, & dedit illis gloriam sempiternam: **M.** Quorum doctrina fulget Ecclesia, ut sole luna. **V.** Sancti per fidem vicèrunt regna, operati sunt justitiam. Quorum. Glória Patri. Quorum.

Si hoc Festum venerit in Quadragesima, nona Lectio legitur de Homilia Feriæ occurrentis, & de ea fit Commemoratio.

Lec-

### Lectio ix.

**Q**uod est fastigium construende fabricæ, quam molimur? quo perventurum est cacumen ædificii? Cito dico, usque ad conspectum Dei. Videtis quam excelsum est, quanta res est conspiciere Deum. Qui desiderat, & quod dico, & quod audit, intelligit. Promittitur nobis conspectus Dei, veri Dei, summi Dei. Hoc enim bonum est videntem videre. Nam qui colunt falsos deos, facile illos vident: sed eos vident, qui oculos habent, & non vident. Nobis autem promittitur visio Dei vivitens & vidētis.

Te Deum laudamus. 13.

Ad Laudes, & alias Horas, omnia de Communi Apostolorum. x.

### FESTA MARTII.

Ante Quadragesimam, prima die non impedita, dicitur Officium Defunctorum. clvi.

### DIE IV. MARTII.

In Festo Sancti Casimiri Confessoris. Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, lxxij. præter ea quæ hic habentur.

### Oratio.

**D**eus, qui inter-regales delicias, & mundi illicebrias, Sanctum Casimirum virtute constantiæ roborasti: quesumus, ut ejus intercessionem fideles tui terrenæ despiciant, & ad cœlestia semper aspirant. Per Dominum nostrum.

Deinde fit Commemoratio Feriæ, si venerit in Quadragesima.

Postea S. Lucii Papæ & Martyris. Antiphona. Iste Sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, & à verbis impiorum non timuit: fundatus enim erat supra firmam petram. **V.** Glória & honore coronasti eum Domine. **R.** Et constituisti Pars Hyemalis. Xx

eum super opera manuum tuarum.

### Oratio.

**D**eus, qui nos beati Lucii Martyris tui atque Pontificis annuæ solemnitate laticis: concede propitius; ut cuius natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum.

In primo Nocturno, si venerit in Quadragesima, Lectioes Justus si morte præoccupatus fuerit, de Communi Confessoris non Pontificis; lxxiv. alias de Scriptura occurrente.

### In secundo Nocturno.

### Lectio ix.

**C**asimirus, patre Casimiro, matre Elisabethâ Austriacâ, Poloniae Régibus ortus, à pueritia sub optimis magistris, pietate & bonis artibus instructus, juveniles artus aspero domabat cilicio, & assiduis extenuabat jejuniis. Régii spretâ lecti molliæ, durâ cubabat humo, & clam inemptâ nocte, præ foribus Templorum pronus in terra divinam exorabat clementiam. In Christi contemplanda passione assiduus, Missarum sollemnibus aded eretâ in Deum mente solèbat adesse, ut extra se rapti videretur.

**R.** Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: **M.** Et dedit illi claritatem aeternam. **V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et.

### Lectio x.

**C**atholicam promovere fidem, summopere studuit, & Ruthenorum schisma abolere: quapropter Casimirum patrem induxit, ut legem ferret, ne Schismatici nova templa construerent, nec vetera collabantur. Regia pauperes & calamitatibus oppressos beneficis & misericors, Patris & Defensoris egenorum